SECUNDA DIOECESANA

SYNODUS

S. Ecclesiæ Cathedralis Montis Marani
Ab Illustriss. & Reverendiss. in Christo Patre, & Domino

JOHANNE GHIRARDO

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo
Celebrata die XXI. mensis Augusti, MDCCXXVIII.





BENEVENTI, Ex Typographia Archiep. 1729.
Superiorum licentia.


DECRETUM

DE APERTIONE SYNODI.

In Nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritussancti. Amen.

JOHANNES GHIRARDUS

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Montis Marani.



NTER obligationes, quas Episcopus habet, maximè nobilior & utilior est Diœcesana Synodus, quam SS. Patres tam inculcarunt, & vocaverunt eam actionem jucundiorem aliis, ob varios ritus apparatuum, & Sacrificiorum, Processionum, Precum, Concionum, Professionis Fidei, Electionum Officialium Cleri, Suffragiorum pro Defunctis, Sanctionis Decretorum, Scrutinii Ecclesiasticorum, Acclamationum exercitium, dummodo actio rite fiat. Nos cupientes nostram Civitatem, ac Diœcesim ornari & jucundari, imò etiam pro complemento primæ nostræ Diœcesanæ Synodi, juxta normam Metropolitanæ Beneventanæ, si non ad tantum fastum deducere, saltèm ad aliquam participationem pertingere, & uti filius exercitatus in ipsa Metropolitana, præsentem secundam Synodum in Domino convocamus, sperantes, quòd si prima,

sicut

ſicut ſol luceſcit, ſecunda, ut luna reſplendebit, proportione, qua a ſole luna accipit ſplendorem per reflexum.

Proponimus eam ad ſalutem animarum, & ad obſervantiam Decretorum jam emanatorum, & ad evitanda ea, quæ correctione indigent, injungendo aliqua, quæ a Spiritu ſancto ſuggeſta ſunt, & quod vigilantiæ zelus, & caritatis ſtimulatio ſolicitat æmulari fraternam ſalutem, & domus Dei decorem (docente D. Thoma) zelare pro Deo, & repellere ſecundùm poſſe ea, quæ ſunt contra honorem, vel voluntatem Dei, ut poſſimus dicere: *Zelatus ſum pro Domino exercituum*; aut cum Davide: *Zelus Domus tuæ comedit me.* Unde dicit Gloſſa, quòd bono zelo comeditur, qui quælibet prava, quæ videt, corrigere ſatagit: ſi nequit, tolerat, & gemit; nam zelus tres effectus in anima parit, nempe, indignationem ſanctam, laborem, & mœſtitiam, ut docet Sperellus. Indignatio ſancta contra eos, qui honorem amati impediunt: labor in fatigando, ad Deum defendendum: & mœſtitia, quando deficit vis, & potentia tuendi. Unde bene D. Bernardus deſcribit zelum, eſſe intimam ſtimulationem caritatis, piè nos ſolicitantis æmulari fraternam ſalutem, decorem domus Dei, incrementa lucrorum ejus, ac frugum juſtitiæ ejus, laudem & gloriam nominis ejus.

Cùm autem Eccleſiaſtici ſint primi, & cariores diſcipuli Salvatoris noſtri, ipſis convenit nobiliſſima virtus zeli, quæ eſt regina, & corona omnium virtutum, & quàm bene ipſe D. Bernardus ſcripſit: *Si Chriſti diſcipulus es, ignoſcat zelus tuus. Exurgat auctoritas adversùs impudentiam hanc*. Nos fortes hanc virtutem, quantum poſſumus, exercentes, & imprimere volentes

in

in cordibus ſubalternorum noſtrorum Miniſtrorum, omniumque Eccleſiaſticorum, vi noſtrorum Decretorum Synodalium facto & ſermone, Deo adjuvante, & auxilio Deiparæ Virginis,& protectione S. Johannis Epiſcopi, & Patroni noſtræ Civitatis, cæterorumque Sanctorum, introducimus hanc ſecundam Synodum in noſtra Cathedrali.

Reliqua Decreta, nempe de modo vivendi in Synodo, de Miniſtris Synodalibus, de præjudicio non afferendo, de non diſcedendo, de oratione publica, de profeſſione Fidei, & de cæteris hujuſmodi, habentur in actis, quæ in Epiſcopali Cancellaria aſſervantur.

T I T. I.

De Summa Trinitate,& Fide Catholica.

C A P. I.

Fundamentum rerum vitæ ſpiritualis eſt Fides, & per hoc omnis ſpiritualis actio requirit profeſſionem Fidei.

CUM Fides ſit virtus, qua creduntur, quæ non videntur,vel,ut docet D.Dionyſius,quòd Fides eſt manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipſis veritatem oſtendens: & Apoſtolus deſcribit eam,eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum; inde oritur, quòd non ſit fidelis, qui Fidem non profitetur;& bene D. Auguſtinus objurgans,dixit:*Conſidera, quòd vocaris fidelis, non rationalis,& accepto Baptiſmo, hoc, dicimus, fidelis factus es*. Igitur eſt virtus natura-

lis, quæ inclinat nostrum intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis a Deo, & fundamentum totius vitæ spiritualis. Ecclesiastici enim, & præcipuè illi, qui eligendi sunt ad munus exercendum, & ii, qui investiendi sunt ad dignitatem, & possessionem Beneficii, indigent professione Fidei, ad tenorem Concilii Tridentini, sicut in nostra prima Synodo mandavimus, sub pœnis privationis fructuum; nam confessio Fidei capaces reddit eos, qui introducuntur ad administrationes, & possessiones rerum spiritualium, & ad participationes sustentationis. Unde si qui erunt, sciant sua debita.

C A P. II.

Inculcatur obligatio docendi Doctrinam Christianam ad tenorem Decreti nostræ primæ Synodi, juxta Edictum Concilii Provincialis: & rejicitur opinio Ecclesiasticorum aliter prætendentium, & manifestatur Decretum Sacræ Congregationis Concilii circa Ecclesiasticos.

Opus, quod maximè displicet dæmoni, est instructio nostræ Fidei, sine qua homo non est capax æternæ gloriæ, & per hoc maximè studet diabolus, & non cessat semper impugnare, ne fideles instruantur; & cùm tam in nostra Civitate, quàm in Diœcesi æquè Ecclesiastici participent de Decimis, quæ a fidelibus offeruntur propter administrationem Sacramentorum, quæ implicitè continet instructionem rudimentorum Fidei, & Doctrinæ Christianæ, Justitiæ, & Caritatis, meritò in Decretis nostrarum Sanctarum Visitatio-

tionum,& in prima nostra Synodo fuit provisum,quòd omnes Ecclesiastici Participantes, & Clerici, qui participare sperabunt, coadjuvare debent Archipresbyteros, & curam animarum gerentes ad Doctrinam docendam pueros, ad tenorem Edicti Concilii Provincialis Metropolitanæ Beneventanæ, sicut capitis istius Provinciæ; et si aliqui Ecclesiastici Oppidi Vulturariæ hujus Diœcesis clamaverunt apud Sacram Congregationē Concilii, bene provisum fuit ab Eminentissimis Patribus,esse operosum zelum nostrum,& summopere commendantes Decretum & Edictum nostrum, tam in prima nostra Synodo, quàm in Sancta Visitatione, ordinantes, ut in omnibus exequutioni demandetur Edictum evulgatum, tam in nostra Civitate, & Diœcesi, quàm in tota Provincia Beneventana, prout in calce hujus Synodi videnda est Epistola prædictæ Sacræ Congregationis Nobis directa. Quapropter Nos præsenti Constitutione recalcamus omnibus nostris Ecclesiasticis subditis,sub pœnis statutis,observantiam.

C A P. III.

Eliminantur aliquæ actiones,quæ sunt superstitiosæ, & contra Religionem Fidei.

RElígio est virtus specialis,distincta ab aliis virtutibus, & tribuit Deo debitum: est filia Justitiæ, cum tradit Deo illud, quod debitum est, nempe,honorem & gloriam,sicut innuit D. Thomas. Dicitur Græcè Theosebia, Latinè significat Dei cultum. Suam etymologiam sumit a religendo ea, quæ sunt divini cultus, & D. Augustinus: *Religet nos Religio uni Omnipoten-*

tenti Deo, ſcilicet, ad unum Deum tendentes, & ei uni religentes animas noſtras, unde Religio dicta creditur.

Hæc enim virtus magnificata eſt a SS. Patribus, & eſt regalis via, quę una ducit ad Regnum, & ſine qua non poſſumus introire; nam Deus honorem & reverentiam deſiderat a nobis, ut per David Prophetam in Pſalmo 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Per Religionem nos divinæ naturæ curam, ceremoniamq; offerimus. Tota enim noſtra vigilantia poſtulat, ut animæ nobis commiſsæ, non ſolùm circa eam rigorosè verſentur, ſed etiam ut ſint inſtructæ de eis, quæ tali virtuti opponuntur; & cùm illi maximè oppoſita ſit ſuperſtitio, teſte D.Thoma, Nos præſenti Conſtitutione ſancimus aliqua, (quæ invincibiliter ſuppoſita ſunt licita, & revera ſunt ſuperſtitioſa) ad ea tollenda, cùm Nobis perlatum ſit,a rudibus,& inexpertis patrata eſſe in hac noſtra Civitate, & Diœceſi.

Superſtitio eſt vana, & falſa Religio, alicui indebitè conceſſa; nam cultus indebitus cum ea tribuitur, cui non debetur,ſive tacitè, ſive expreſsè. Cùm aliqui propter eorum inſcitiam negligant, & non bene diſcernant, multoties vi curioſitatis, & apprehenſionis, inordinatè, propria voluntate, aut conſilio impiorum, aliquas actiones, & manifacturas peragunt,nullo habito reſpectu neque ad Deum, neque ad naturam, ſicut ſupponimus contigiſſe aliquibus hujus Civitatis, & Diœceſis,quærentibus ſcire occulta,præterita, & futura, & mederi infirmitates modis impropriis, & impertinentibus, in quibus ſupponimus adeſſe tacitam invocationem dęmonis. Unde in poſterum nemo audeat his mediis uti, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, ut pluries a Summis Pontificibus fuit vetitum;

&

& mandatum, nempe, a Xysto V. & Urbano VIII.

Moneant proinde animarum Rectores, beatum esse virum illum, cujus Dominus spes ejus, nec respexit ad vanitates, & insanias falsas, admonendo animas de tanto malo operato in conspectu Domini, sanguine cujus redemptæ sunt de potestate tenebrarum; & iterum nequissimi hostis societatem & servitutem ineunt & subeunt, ex eo quia superstitiones omnes procedunt ex aliquo pacto cum dæmone inito, tacito, vel expresso.

Caveant deinceps omnes scientiam, tam de præterito, quàm de futuro exquirere mediis omnino impropriis & impertinentibus, sicut dicunt scire præterita, & maximè bona furata, certo signo facto cum particula vestis, cribro, speculo, & aqua alicujus suspectionis: sicut mederi aliquam infirmitatem oculorum, aliorumque membrorum, & alicujus infirmitatem, vocatam Icteritiam, & credere posse scire futura, quod soli Deo competit.

CAP. IV.

Ostenditur blasphemiæ gravitas, & quantum Deo displicet: & pœna blasphemantium, quam Rectores animarum debent inculcare.

ETSI omnia delicta lædant, maxima sunt illa, quæ Divinam Majestatem inficiunt, & cùm blasphemia secundùm rationem formalem sit locutio in Deum, vel in Sanctos per modum convicii, vel contumeliæ; inde sequitur esse peccatum læsæ Majestatis Divinæ, & reum esse morte mulctandum, Levitici 24. jussit enim Dominus: *Educ blasphemum extra castra,*

&

& ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus; ex eo quia donum linguæ homini fuit communicatum principaliter, ut cum ea debeat laudare cum vivis præconiis, & indefessis commendationibus Divinam Bonitatem sui Factoris. Nullum enim animal habet sermonem, nisi homo, & hoc totum, ut Deum suum laudet, quod non facit ingratus blasphemator; qui se facit omnibus creaturis inferiorem, nam illæ secundùm modum suum Creatorem laudant, sicut D. Augustinus notavit: *Sol ad nutum Domini non deviat a via sua, nec Luna, nec Stellæ.* Campi etiam decorantur floribus, silva crispatur, in nemore citharizat avicula, insensibilia obediunt Deo, solus homo voluntati Dei resistit, maledicit, & blasphemat, & per hoc Apostolus de quibusdam hominibus dicit: *Quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare.*

Attribuere Deo, quod Deo non convenit, vel negare Deo, quod Deo convenit, aut attribuere creaturæ, quod convenit Creatori, est blasphemia, & sapit hæresim, & blasphemans punitur ut hæreticus. Malè dicere de Deo, & de creaturis, in quantum sunt creaturæ ejus, semper est blasphemiæ peccatum, quia tendit veluti ad destructionem, & malum Dei, & creaturarum; unde quantum malè operantur aliqui, qui continuò non cessant malum dicere de eis, quæ a Deo facta sũt per suam misericordiam, & nostram gratiam, & suggestu hostis humanæ naturæ prævaricantur, creaturis irrationalibus, ut terræ, arboribus, animalibus, lapidibus, pluviæ, ventis, soli, lunæ, ac similibus maledicendo, quando unusquisque pro libito suo facturis irrationabilibus maledicere non debet, in quantum sunt

ſunt Dei creaturæ, quia faceret in contemptum Dei, & peccaret peccato blaſphemiæ, & maximè illi blaſphemantes ea, quæ gratia Dei ad noſtram utilitatem facta ſunt, puta tempus, dies, & horas, & ſpecialiter quæ ab Eccleſia ordinata ſunt ad commemoranda beneficia nobis facta a Redemptore, ut dies Paſchatis, dies Natalis, & ſimiles, in quibus fit mentio myſteriorum noſtræ Fidei; unde ſemper pernicioſæ ſunt blaſphemiæ, quia tendunt ad injuriam Dei, & continent contemptum Creatoris,& ſæpius blaſphemando diem, intelligunt blaſphemare myſterium, quod ab Eccleſia agitur in illa die.

Maximè diſplicet Deo blaſphemia, nam lædit ſuam bonitatem, & omnia Dei attributa, imò maximam ingratitudinem continet, cùm deberet homo laudare ſuum Benefactorem,non maledicere, & hoc eſt præceptum naturale. Canis quoque cognoſcit patronum ſuum,cùm ei feſtum faciat cum cauda ac capite,aveſq; ſuo modo;unde Ariſtoteles 4.*Eth. Beneficiatus tenetur rependere vices ſuo benefactori*; & Seneca: *Ingratus eſt, qui non reddit, ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt*. O blaſphemator pejor animalibus! Lingua, quæ data eſt ad laudandum, ſicut in Eccleſiaſt. *Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum*, verifiatur de te illud ad Rom. 2. *Nomen meum jugiter blaſphematur.*

Nos averruncare volentes a noſtræ Diœceſis vinea tam execrandum ſcelus, omnibus curam animarum gerentibus mandamus præſenti conſtitutione, ut in ſermonibus Parochialibus explanent Populo gravitatem hujuſmodi vitii quantum poſſunt, & in omni prima Dominica cujuſcunque menſis Summarium Bullæ

S. Pii V. appositum in fine hujus Synodi ad notitiam deducant, & publicent, gravesque pœnas in eo contra blasphemos contentas explanent, sub pœna ducatorum duorum, ut si stultus in culpa, sit sapiens in pœna.

Insuper Rectores animarum fidelibus notum faciant, Indulgentiam annorum decem a Leone X. concessam iis, qui hujus farinæ hominum linguas correctionis freno compescunt, vel Curiæ puniendos denuntiant.

C A P. V.

Assiduè usus Exercitiorum spiritualium, Orationis, & Ss. Rosarii peragendos consulitur.

ORatio est quædam locutio, seu petitio, qua cum subjectione petitur a superiore, quod desideratur; ex quo deducitur, non convenire ulli Personæ Divinæ, quia Deus superiorem non agnoscit, & Personæ Divinæ sunt æternæ, & coæquales. Unde soli naturæ rationali cõpetit petitio, & locutio hoc modo sumpta: & licèt convenit Christo, illi convenit, considerata natura humana, & ut homo est, qui pro nobis oravit, Joann. 2. *Sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*; & alibi: *Et ego rogabo Patrem*; ad Heb. 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*; vel, ut volunt alii, Christum in cęlo orare solùm interpretativè, repræsentando Patri suam passionem, quam pro nobis sustinuit. Convenit Angelis, quia Danielis 10. habetur: *Nemo adjutor meus, nisi Michael*; & ad Tobiam dixit Angelus: *Ego obtuli orationem tuam Domino*. Sanctis in cęlo existentibus etiam

etiam convenit, ut Ecclesia confitetur, invocantes nos Sanctos, ut orent pro nobis. Porrò animabus in Purgatorio existentibus convenit oratio, non solùm pro semetipsis, sed etiam pro viatoribus, ut Deus intuitu petitionis ipsarum, illis bona conferat, sicut nonnulla miracula referuntur facta, ut refert Bellarminus, nam reatus ad poenam non reddit animas Purgatorii inhabiles ad orandum.

Dæmonibus autem, & damnatis propriè oratio non convenit, quamvis sint naturæ rationalis, & superiorem agnoscant: & hoc ratione status, in quo reperiuntur, cùm nihil boni a Deo expectare possint.

Viatoribus tandem convenit, & est necessaria oratio, & de eis dicitur: *Oportet semper orare, & nunquam deficere ab oratione*, etiam si sint in peccato, quia naturam habent rationalem, ut media oratione exaudiātur, & convertantur; si verò quis erit sine tali in tota vita sua, oratio ejus erit potentissima, sicut fuit illa Moysis, Josue, & aliorum, multum enim valet oratio justi assidua, illorum verò qui fuerunt peccatores, & subitò se humiliaverunt, libenter in suis necessitatibus exauditur oratio, sicut fuit illa Magdalenæ, & Latronis.

Oratio jure naturæ necessaria est ex præcepto Religionis, quia lumine naturæ dictante, cognoscimus illud petendum esse, sine qua tentationes non superantur, & perseverantia, & auxilia ad salutem non obtinentur, Matth. 7. *Petite, & accipietis, &c.*

Fieri debet in Ecclesia plusquam alibi, quia in Ecclesia Deus singulariter habitat, & Salomon dixit: *Deus sanctificavit mihi locum istum*; & per hoc in Ecclesia dicuntur horæ canonicæ, & celebrantur Sacrificia

cia cum dispēsatione SS.Corporis Christi,& quia in eā fideles potiùs conveniunt, & Christus Redemptor noster reliquit scriptum in sua Passione : *Ubi erunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ero in medio eorum*.

Nos cupientes salutem animarum, sicut postulat nostra solicitudo, præsenti constitutione mandamus omnibus curam animarum gerentibus, & exercitiorum spiritualium Præfectis, ut factis, & viribus in Ecclesiis Parochialibus introducant recitationem & devotionemSS.Rosarii in omnibus diebus manè,vel serò, cum omnibus orationibus adjunctis, & aliis exercitiis solitis, & non deficiant a tali praxi, etiam si convenerint duo, vel tres fideles, sicut contingere experti sumus multoties in pluribus locis; nam gustavit Dominus, de decem leprosis sanatis unum fuisse, qui laudem & gratias retulit ipsi, & multò displicuit de aliis non accedentibus: *Et novem ubi sunt?* Præfectus hujus constitutionis diligenter examinandus erit in Sancta Visitatione. Negligentes,& oscitantes sciant permansuros sicut indignos pro Deo,ita indignos pro seipsis.

Præterea mandamus omnibus exercitiorum spiritualium Præfectis, & præcipuè Confratrum Directoribus, ut ad amussim servent Regulas a Nobis præscriptas pro Confratribus, sub pœna suspensionis ipso facto.

TIT.

TIT. II.

De Conſtitutionibus.

CAP I.

Diœceſanæ Synodi hactenus celebratæ confirmantur.

SYnodos Diœceſanas, & Conſtitutiones a Prædeceſſoribus noſtris promulgatas præſenti conſtitutione confirmamus, ſicut & primam noſtram editam in præterito anno 1727. ab omnibus, quorum intereſt, inviolabiliter obſervari mandamus, ſub pœnis in illis ſtatutis, & indictis.

CAP. II.

Hæc una illarum obſervantia Synodali Scrutinio diſquirenda. Quidquid inobſervatum obvenit, ad obſervantiæ tramitem opportunis remediis reducetur.

NON animo, nec voluntate anniverſarias Eccleſiaſticorum Synodos ad novas tantùm condendas Leges convocamus, ſed ut convocato Clero, per Scrutinium diligenter habitum, Clericorum, & Populi aperiantur defectus, & inobſervantiis, quas humana in dies edit imbecillitas, aditus intercludatur.

Nullum medicinæ remedium proderit infirmo, ni priùs manifeſtata fuerit ejus infirmitas, quæ quidem con-

contingere non poteſt,ſi indicia,quæ intùs habet infirmus, delata non ſint ab ipſomet,aliàs obſcurè perageret,& ſine intento fieret actio; facilis enim morbi curatio ſit,ſi cognita erit ejus ſpecies. Scrutinium nanq; eſt neceſſarium ad indagandum uſquequo defectus innoteſcere non poſſunt, morum corruptiones, vitæ laxationes, legum inobſervantias, abuſuum patrationes, & rituum ſcurrilitates, cujus rei gratia Synodale Scrutinium a SS. Patribus ſalubriter inſtitutum, ac commendatum eſt, quod ſedulò peragetur juxta tabellas præſcriptas, & traditas Scrutatoribus. Si verò ab oſervantiæ regulis aliquid diſceſſiſſe comperiemus,eidem ferè præſentiſſimo, ac ſingulari remedio occurremus.

T I T. III.

De officio Sacriſtæ, & Cuſtodis.

C A P. U N I C U M.

Eccleſiæ nitori conſulitur.

SI liberalium, atque quarumlibet artium profeſſores, nudè fortè, & incoloratè in illis plerunque contenta ſatagunt cauſis, & rationibus veſtire, & fulcire atque colorare, alioquin dicuntur negligentes; quantò magis Sacriſtæ, & Cuſtodes Eccleſiarum ſcire debent rationes, & cauſas pertinentes ad eorum officium. Cuſtodire enim eſt ſine labe conſervare, ſicut Angelus diciturCuſtos,quia ſine labefactione cuſtodire procurat, unde Cuſtodes, & Sacriſtæ ſine ſordibus, & cum

cum nitore peragere debent res sacras, & propio officio teneantur; & licèt sint in paupertate constitutæ Ecclesiæ, non sequitur per hoc, debere manere in sordibus. Speculum earum sunt Ecclesiæ Mendicantium, & præcipuè Capuccinorum pauperum, quarum nitores resplendent plusquam sol, & luna, & ad imitationem devotionis & decoris inducunt, sicut multoties faciunt munditiæ, & non divitiæ incompositæ.

Nos volentes tanto decori nostrarum Ecclesiarum succurrere, mandamus Sacristis, & Custodibus earum, ut studeant vigilare in suis officiis, & instrui de vulgatis Titulis 27. & 28. *Rectoris Ecclesiastici*. Quos si in Sancta nostra Visitatione, vel in aliis contingentiis reperiemus negligentes, sciant puniendos esse pœna ducatorum duorum, & aliis nostro arbitrio.

Præterea inhibemus in Ecclesiis, & Sacristiis custodiri arma cujusque speciei, quovis prætextu, & pariter supellectiles laicorum, ne laico Judici inquirenti occurrant, quod non raro contingere experti sumus.

T I T. IV.

De Fide Instrumentorum.

C A P. I.

Confectio Inventariorum inculcatur infra alium annum.

Rememoratur confectio Inventariorum, quæ in prima nostra Synodo fuit demandata per annum, quam præsenti constitutione prorogamus ad

alium

alium annum; infallibiliter tamen volumus ea terminata in dicto termino, sub pœnis contentis in constitutione primæ Synodi.

C A P. II.

Archiva erecta ex Constitutione SS. D. Nostri Benedicti PP. XIII. vigilantissimi custodiri fideliter mandamus.

OPus laudabile, & jam mandatum a SS.PP.nostro Benedicto XIII. Regnante, in quo scripturæ pertinentes ad Ecclesias, & Loca Pia, utpote continentes Patrimonium Christi, ex vigilantia ejusdem SS. reductæ, & unitæ in loco, qui dicitur Archivum, ut conservētur venerātes, in Archivis prædictis scripturas ipsas custodiri mandamus ad tenorem ejusdem SS. Instructionis, & claves conservari respectivè ab Ecclesiasticis Archivistis, & sub pœna suspensionis aliis non tradi sine nostra licentia; & si quandoq; cōtigerit permutari Archivistas, id non faciēt sine consignatione ad tenorem Catalogi ejusdem Archivi, & cum fidelitate, & cautela satisfactionis sui debiti, sub pœna ducatorum decem, & aliis nostro arbitrio.

TIT.

T I T. V.

De Vita, & Honestate Clericorum.

C A P. U N I C U M.

Vestes sacras, & vasa dicata pro sacris functionibus, deservire pro aliis usibus prohibetur.

CUM natura ipsa affecta sit zelotypia, & maximè de rebus illis dicatis, inde oritur ununquenq; esse zelotypum de honore, & existimatione sua, & sic mirum non est, si Dominus Salvator noster suæ domus zelo, suum Templum ipsi dicatum, repertum & factum esse domum negotiationis, quæstus est, & idcireo de eo, flagello ejecit vendentes, & ementes, corrigens illos fecisse domum suam, domum negotiationis: quod faciendo, notam nobis fecit suam zelotypiam de rebus ipsi dicatis. Unde Nos, prout postulat nostrum Pastorale officium, præsenti constitutione sancimus observari ea, quæ hìc notantur.

Primò observari institutionem Stephani I. Sanctiss. Pontificis, qui instituit Sacerdotes, Levitas, & àlios Ecclesiasticos vestes sacras, & quæcunque dicata pro ministeriis Ecclesiasticis, & Sacrificiis, non uti, nisi in Ecclesiis, & in illis ministeriis, & Sacrificiis, pro quibus sunt dicata, ne aliàs faciendo, incurrerent in pœnam, sicut Balthassar Rex in Babylone sensit, qui ausus fuit tangere vasa sacra. Et sciant, tam vestes, quàm vasa, si pro aliis usibus adhibeãtur, esse suspẽsa, &

tradentes esse excommunicatos, prout præsenti constitutione statuimus.

Secundò, nullum Ecclesiasticum præsumere intromitti ad alias repræsentationes profanas faciendas, quàm ad illas determinatas ab Ecclesia, sub pœna Excommunicationis; nam indignum est, ut qui dicatus sit repræsentare, & agere ministeria, & Sacrificia Ecclesiæ, idem sit paratus ad alias repræsentationes faciendas. Et licet aliquæ sint indifferentes, & mistæ cum Ecclesiasticis, judicandum est, si sint licitæ, a Nobis, & de nostra licentia, antequam patrentur. In posterum caveant, ne inflicti remaneant Excommunicatione.

TIT. VI.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

CAP. UNICUM.

Numerus Ecclesiarum & Altarium consecratorum refertur, & aliorum inculcatur promptio.

POstquam Dominus Deus per Prophetam Nathan dixit David servo suo: *Non ædificabit mihi domum, quia sanguinarius est, sed filius ejus succedens in regno, faciet domum in nomine meo*, Salomon filius David, qui successit heres, ædificavit Templum, in qua ædificatione consũmavit septem annorum, & septem mensium spatium, inde dedicavit illud Domino spatio dierum septem, & apparuit Dominus Salomoni per sõnium, dicens: *Exaudivi orationem tuam, & sanctificavi*

vi domum hanc, & erunt oculi mei cunctis diebus super eam, & super populum Israel: acceptavit etiam Dominus oblata Sacrificia in eo. Si igitur sanctificatur Ecclesia per dedicationem, Deus declaravit, & sanctificavit sibi Templum, & in eo Sacrificia, quæ offerebantur, libenter, quamvis erant figuræ, & offerebantur tauri & vituli, aut alia hujusmodi, acceptabantur a Domino, quantò magis hoc tempore gratiæ, in quo per Sacrificia offeruntur non animalia, sed verè Corpus, & Sanguis Christi Filii sui, delectabitur? Et si Templum sacratum declaravit suum esse, quid dicendum est de Ecclesia consecrata? Certissimum ergo est in Ecclesiis dicatis magis delectari de Sacrificiis Deū, & per consecrationem expelli dæmones, tanquam a domibus Deo dicatis, referente Gregorio in Decalog. *lib.3. cap.21.* quòd cùm quædam Ecclesia Arianorum reddita fidelibus consecraretur, & reliquiæ Sancti Sebastiani, & B. Agathæ illuc delatæ fuissent, populus ibi congregatus porcum repente inter pedes huc, illucq; discurrere senserunt, qui fores Ecclesiæ repetēs, a nullo videri potuit, omnesque in admiratione commovit: quod idcirco Dominus ostendit, ut cunctis patefieret, quòd de loco eodem immundus habitator exiret: sicut & manifestavit in tribus noctibus sequentibus strepitus magnus factus in ejusdem Ecclesiæ tectis, nec ulteriùs apud illam antiqui hostis inquietudo apparuit.

Nos desiderantes Ecclesias hujus Civitatis, & Diœcesis, pro majori utilitate fidelium, omnes consecratas esse, sicut statuimus in Sancta Visitatione; idcirco præcipimus cum hac constitutione omnibus, ad quos spectat, illas omnes debita dispositione promptas, &

paratas esse, sicuti auxilio & gratia Dei incepimus ab anno 1727. die prima mensis Januarii in nostra Cathedrali, & notavimus in prima nostra Synodo, & eodem anno 1727. in Oppido Castrifrancorum consecravimus in die tricesima mensis Novembris Ecclesiam Archipresbyteralem sub titulo S.Petri cum majori Altari; & in die secunda mensis Decembris ejusdem anni consecravimus Altaria S.Antonii Abbatis, & Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo in eadem Ecclesia; & in die tertia ejusdem mensis, & anni in eodem Oppido consecravimus Ecclesiam S. Mariæ de Succursu cum Altari majori; & in die decimaquarta Januarii anno 1728. in Oppido Vulturariæ consecravimus Ecclesiam Archipresbyteralem S. Nicolai cum Altari majori ejusdem; & in die decimaquinta ejusdem mensis, & anni consecravimus in eadem Ecclesia Altare Deiparæ Montis Virginis: sic, Deo dante, speramus id fieri de aliis Ecclesiis, quod Deus adjuvet.

T I T. VII.

De celebratione Missarum, & Divinis Officiis.

C A P. U N I C U M.

Defunctorum Missæ, & suffragiis consulitur.

SUffragium indicat auxilium, quod alteri præbetur ad consequendam remissionem pœnæ temporalis, dummodo in hac vita operatur; & potest etiam suffragari Defunctis, satisfaciendo pro pœna ipsis debita,

bita; nam, *Sancta & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare*. Est etiam articulus Symboli: *Communionem sanctorum*, cujus articuli sensus est, in Ecclesia esse Communionem bonorum operum inter homines justos, quatenus unus alteri prodesse, & auxilium ferre potest; nam homines justi sunt membra unius corporis Ecclesiæ sub capite Christo, unita principaliter per caritatem; unde potest vir justus per suffragia, & Indulgentias, & per opera satisfactoria alteri præbere auxilium, & principaliter animabus in Purgatorio existentibus, licèt animæ ipsæ non possint habere partem in opere, quod geritur sub sole, ut Ecclesiastici 9. habetur; quod intelligendum est de concursu ad opus ipsum; habere tamen possunt partem in fructu operis, qui est satisfactio, ut bene Sotus cum aliis refert. Suffragium enim, ut satisfactio, habet effectum infallibilem ex justitia infallibiliter, & prodest vel cui applicatur, secundùm Suarez, vel aliis necessitatibus, juxta Dei acceptationem, secundùm alios auctores. Quæ suffragia si considerentur ut opera meritoria, prosunt etiam ipsi applicanti ad vitam æternam, sicut Propheta David: *Oratio mea in sinum meum convertetur*, ut quàm bene docet D.Thomas; si verò considerentur ut satisfactoria, juvant tantùm quibus applicantur, cùm non habeant satisfactionem infinitam, sed limitatam, sicut Suarez, & communiter Theologi; unde bonum applicatum pluribus, minùs singulis prodesset, si totum uni applicaretur. Quod enim habet virtutem finitam, si distribuatur in multos, minùs prodest singulis, quàm si uni totum communicaretur, & est axioma Philosophorum: *Omne finitum ablatione finiti consumitur*.

Nos

Nos, in quantum postulat nostra Pastoralis vigilantia, monemus omnes, & principaliter Ecclesiasticos, ista opera tam meritoria, quàm satisfactoria peragere, tam ad proprium favorem, quàm ad satisfaciendum pœnæ temporali pro aliis, & maximè sublevandas animas in Purgatorio manentes per modum suffragii; & cùm inter illa maximè sit oblatio Sacrificiorum, qua valore medio illorum a sacrificante applicato infallibile auxilium recipiatur; ideò exhortamur quantum possumus omnes curam animarum gerentes, quòd virtute caritatis, & in aliquibus obligatione justitiæ exhortari animabus omnibus tale auxilium, ut retributionem requirant in tempore.

Sacerdotes nanque meminerint quantum in nostra prima Synodo fuit constitutum circa Missarum satisfactiones, ad hoc ut animæ purgantes privatæ, aut retardatæ non sint de suffragiis.

Hac constitutione tamen condemnamus illos Sacerdotes, (si qui sint in nostra Diœcesi) qui opinantur cum uno Sacrificio satisfacere pluribus obligationibus sub prætextu paupertatis, & aliorum similium: nam novissimè fuit declaratum a Sacra Cardinalium Congregatione esse erroneum, quia non modicam animis hominum ingerit sordidæ cupiditatis vim, & avaritiæ suspicionem excitaret.

Propterea mandamus unicuique Sacerdoti pro onere suo satisfacere Missis, prout ei fuerit constitutum stipendium ab offerente, eo modo, in illo Altari, illo die, & tali Missa; hac de causa Ecclesia jubet Missas pro defunctis, & varias, & particulares: & novissimè fuit declaratum dubium de Missa celebranda cadavere præsente, etiam in diebus Dominicis, & festivis,

exce-

exceptis diebus solemnitatis, nempe Nativitatis Domini, Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, & triduo Majoris Hebdomadæ, sicut etiam Missæ privatæ de Requiem, eo tamen præciso tempore, quo cadaver in Ecclesia expositum est, & Exequiæ celebrātur. Videri potest in XLI. Diœcesāna Synodo Beneventana in una ejusdem constitutione, quæ ex oraculo SS. D. N. PP. Benedicti XIII. regnantis tradito Illustriss. & Reverendiss. Domino Episcopo Targensi, & in Ecclesia Beneventana Vicario, Locumtenenti, & Officiali Generali Archiepiscopali, & talis Synodi Præsuli.

TIT. VIII.

De Usuris.

CAP. UNICUM.

Eliminantur usura, & ejus fœneratores.

Postquam Paterfamilias, qui secundùm DD. est Dominus Deus, dedit vineam suam, de qua Isaias cap. 6. *Vinea Domini exercituum domus Israel*, sepe eam circundedit, quia eam munivit Angelica custodia: torcular in ea fodit, quando legem ei dedit, cùm multis præceptis eos torquebat: locavit eam agricolis, scilicet Sacerdotibus, & Principibus, qui habent officium servandi cultum divinum, & justitiam in omnibus: profectus fuit peregrè, non quia mutavit locum, qui ubique est præsens, quia autem dimisit agere secundùm arbitrium suum, ut Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consi-*

consilii sui; appropinquante autem tempore fructuum bonorum operum, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus. Sed agricolæ apprehenderunt servos illos, & alios cæciderunt, ut Isaiam Prophetam, alios occiderunt, nempe Amos, & alios lapidaverunt, & impleverunt Jerusalem, ut dicit Scriptura, sanguine Prophetarum usque ad os.

Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: *Verebuntur filium meum*. Agricolæ autem videntes opera Divinitatis eum facientem, invidia moti, dixerunt: *Venite, occidamus eum*, sicuti fecerunt; cùm autem venerit Deus Pater ad judicandum, ut Dominus vineæ, quid faciet illis agricolis? & quia inter eos erant quidam boni, qui dixerunt: *Malos malè perdet*, & eos damnabit: *Ite maledicti in ignem æternum*, *& vineam suam locabit aliis agricolis*, nempe Apostolis, & Christianis: & Judæus dominus, factus est servus extraneus a regno: & populus Judaicus, qui dicebatur populus peculiaris, modò dicitur populus vidualis.

Verè nunc Deus populum Judaicum extra vineam, & Ecclesiam numerat, nam fructus, & virtutes eorum repugnant naturæ, & justitiæ, & præcipuè per usuras, & Judæus dicitur usurarius, quia contendit usuram non esse peccatum. Usura nanque ab usu terræ originem sumpsit, tribuendo, & restituendo plura pro uno, nam terra nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit quod accipit, sed aliàs minore, plerunque majore cum fœnore. Qui verò fęnus agitant, & in usuras se extendũt, videntur aggregare posteriora prioribus, & ortis oritura connectere, vel, ut alii dixerunt, ab usu rei, qui contingit in mutuo. Unde

usura

usura modo quo nunc intelligitur, est lucrum immediatè proveniens ex mutuo, & pacto sive expresso, sive tacito inito.

Usura est peccatum mortale. D. Ambr. lib. 51. *Si quis usuram recipit, rapinam facit, vita non vivit*; & est crimen, quod utroque Testamento detestatur. Opponitur præcepto justitiæ, quæ clamat reddere unicuique, quod est suum; usuras autem exigens ultra sortem, exigit quod suum non est. Repugnat etiam Legi naturæ, quia vult: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Repugnat veteri Legi. Levit. 25. *Si quis damnificaverit proximum, restituat ei: ut animal pro animali: mutuum pro mutuo*; & Deut. 23. *Fratri tuo absque usura, id quo indiget, accommodabis*; Exod. 22. *Si pecuniam dederis populo pauperi, non urgebis, nec usuris opprimes*; & in pluribus locis. Opponitur Euangelio, & omnibus legibus: *Mutuum date, nihil inde sperantes, & qui pecuniam dederit ad usuram, non habitabit in regno Domini*; & per hoc est prohibita ab Ecclesia, & damnata a Conciliis.

Cùm autem non cessat hostis humani generis usuram in omni gesto fidelium, si non expressè, saltèm tacitè immittere, maximè in illos, qui inclinati sunt ad lucrandum, supposita aliqua doctrina, vel consilio falso, aut non approbato, sicut experti sumus contigisse in multis casibus, & perlatum nobis fuisse; ideo aliqua circa hæc exponimus prohibenda in præsenti constitutione.

Extat decretum jam in Concilio Provinciali Beneventano, cujus nos membra sumus, & cujus constitutio admonet Confessarios ejusdem Provinciæ, ut studeant diligenter tractatui de Usuris, & de Restitutione, ut

